A. Ω.

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA,

De

VARIOLIS,

Qvam
Felici Divini Numinis Auspiciô
Ex
Consensu Gratiosissimi Medicorum Ordinis
In Almâ hâc Leucoreâ

SUB PRÆSIDIO

DN. GEORGII FRANCI,

RECTORIS h. t. MAGNIFICI,
Aliqvot S. R. J. DNN. ELECTORR. & PRINCIPP.
Consiliarii atqve Archiatri, &c.
DOMINI PATRONI ac PROMOTORIS
SUI GRATIOSI,

PRO LICENTIA

Summos in Arte Medicâ Honores ac Privilegia
DOCTORATUS
ritè capessendi
publico Eruditorum Examini subjicit

JOHANNES FRIEDERICUS NICOLAI,
HALL. SAXO.

Ad Diem I. Martii, Ann. M. DC. XCII.

WITTENBERGÆ,
Literis VIDUÆ MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.



B. C. D.

§. I.

QVanqvam inter alias corporis, qvibus homo hominem, & cœtera cuncta animalia antecellit, dotes, non infimum sibi locum formosa facies elegerit, eâqve vi ac potestate sit, ut veluti divini cujusdam decoris imago ad amorem sui ac admirationem facilè qvemvis alliciat animum; Tamen ita lubrica & mutabilis est ejus elegantia, ut non minus varii morborum insultus, qvàm ipsa mors destruere illud eximium naturæ privilegium opinione citius, ac pessundare penitus valeant. Hujusmodi tetrum nobis spectaculum qvotidiè Variolæ præsentant, adeò agentes interdum sæviter, ut ne fœtibus qvidem fœcundo matris utero adhuc inclusis, ac vix dum natis, atq; à matre adhuc rubentibus parcant. Vide omnino *JOH. RHOD. Cent. 3. obs. 83.* Excell. *Val. ANDR. MöLLENBROCC.* in *Eph. Germ. Cur. Dec. I. Ann. I. obs. 53. p. m. 150.* qvi simul allegat *FOREST. l. V. obs. 44. TH. BARTHOLIN. Cent. IV. hist. 50.* Ejus communissimi mali naturam & Curationem, dum Inauguralis Speci-

minis locô enarrare in animum induxi, Divinum imploro Numen, ut huic meo instituto clementer annuat.

§. II.

De *Nominis* autem derivatione parum solliciti rem statim ipsam aggredi consultum ducimus, perinde esse existimantes, sive nostrũ derivetur, malum à variando, qvod faciei varient nitorem Variolæ, sive à varis, qvibus Tubercula indigitantur. Nos Philologico relinqventes tribunali Etymum, facilè in his acqviescimus, & dictam affectionem, qvâ tenerrima plerumq; ætas vexatur per despumescentiam sangvineæ Massæ, cum tuberculis eminentioribus rubicundis, in pus tandem abeuntibus, & febri, interdum benignâ, utplurimum verò malignâ comitatam, commodè describi posse autumamus.

§. III.

Pro varietate enim *causæ* sangvinis Oceanus magis vel minus fluctuat & commovetur, & inde etiam variare potest variolarum indoles; Qvapropter, ut certâ qvâdam innitamur methodo, in *duas* variolas dispescere *species* placet, qvarum *una Febri benignâ*, & mitioribus symptomatibus invadit, Vid. *JOH. RHOD. Cent. 1. obs. 26.* qvamvis idem paullo ante *obs. 24.* referat Variolas sine febre. *Altera* verò, cum graviore sangvinis turbatione, atqve sic densiore symptomatum stipata satellitio affligit. Vide *JACOBI*

RU-

RULANDI de Belebad. Aglossostomograph. *Cap. 1. p. m. 562. & ad h. l. notas CAR. RAYGERI. p. m. 563.* Ratione *qvantitatis* majores erumpunt, vel minores variolæ, plures vel pauciores, profundæ, vel superficiem leniter attingentes, atqve discretæ vel confluentes. Qvæ verò *qvalitatem mutant*, variam præ se ferunt faciem, rubicundam aliæ, aliæ albam, lividam & nigram aliæ, pessimi moris, & indicii hospites. Qvod ad *Tempus* attinet, vel congruæ sunt, qvæ primæ superveniunt infantiæ; vel incongruæ, qvando consistentioris ætatis homines occupant. Porrò *Epidemiæ* aliæ audiunt, in pluribus regionibus plures à causâ communi simul invadentes. Conf. *FOREST. l. VI. obs. 41. & 49.* TULP. *l. IV. obss. C. 51.* TH. BARTHOLIN. *Cent. IV. Hist. anat. 50.* DIOMEDES ANTICUS *tr. pecul. Venet. 1596. in 4.* FRANCISCUS ALPHANIUS *tr. pecul. Neapoli 1577. in 4.* Qvædam verò vocantur, *Epidemica*, qvæ certis veris & autumni periodis infestare solent, & tandem *anomalæ conditionis*, propter incertas Symptomatum varietates, qvæ nulli se typo patiuntur adstringi.

§. IV.

Tristis autem, & non unius generis prodromorum cohors *imminentis mali* irruptionem annunciat; Primò qvidem cum horrore æstuq; febrili invadunt, qvibus Appetitus dejectus, dolores dorsi, & lassitudo, difficultasq; respirandi, vox rauca, ardor Faucium, sitis,

narium & aurium pruritus, tert ores per somnos, oculorum rubedo, & illacrymationes involuntariæ, urina pallida, vel turbata, aut flammea, punctionesqve totius corporis, ac pandiculationes junguntur. Atqve per duos trésve sæpè dies ægrum hæc divexare symptomata solent, donec communiter tertiô vel qvartô pustulæ subrubræ, modò majores, modò minores cum pruritu in totô corpore, vel ejus plurimis partibus erumpant, & sensim deinde grandescentes, ac in majus elevatæ fastigium, cutim, carnesq; vicinas rubore ac inflammatione afficiant, ichoremqve purulentum tandem exhibeant; Sed minore interdum, sæpè antem majore cum molestiâ eruptionem illam Natura conatur.

§. V.

Unde *ingravescens malum* symptomatum variorum multitudine furoreq; triste omninò adstantibus spectaculum præbet; Adest non raró summa virium prostratio, urget præcordiorum anxietas, & respirationis difficultas adaugetur, majorqve insuper Cordis palpitatio accedit; Noctes hinc utplurimum insomnes sunt, hasqve ut umbra Corpus, terrores, deliria, motus convulsivi seqvuntur, aut etiam universum corpus humi prostratum Epilepsiæ contorqvent insultus. Plurimum qvoqve interdum negotii faciunt ventris fluxus; Conf. MARC. CORNACHIN. *meth. p. m. 57.* RIVER. *Cent. 2. obs. 2.* freqventius tamen

men alvi ad dies aliqvot obſtructio & conſtipatio adeſt; idqve naturæ qvaſi legibus, & ſingulari qvôdam beneficio fit, ut lætior variolarum expectetur expulſio, qvæ, dum conſpicitur, ſenſim ſine ſenſu tumere, ſeſeq; attollere, & in puſtulas abire incipiunt, atqve in parvos abſceſſus demum abeunt.

§. VI.

Ex qvibus omnibus clarum evadit, & cuivis obvium eſt, intelligere, variolarum ſubjectum Cutim cum cuticulâ conſtituere, rete nimirum illud mirabile, univerſum tegens Corpus, atqve ex variis filamentis & glandulis, vaſculis ſuis excretoriis inſtructis, contextum. Ad illud enim dum ablegantur acres & fermentativæ ſangvinis particulæ, tubulos ejus, elegantemq; texturam erodunt, & cutim inter & cuticulam uberius collectæ, in puſtulas atqve tubercula ejusmodi abeunt. Non qvidem negamus, per inſenſibilem tranſpirationem multas ejusmodi nocivas particulas ejici, plures tum intra canaliculoſum cutis contextum hærere, & tragœdiam illam ludere certum eſt. Neqve verò internas corporis partes immunes eâ eſſe volumus, cum Experientia Anatomicorum teſtetur, tantam ſæpè hujus mali fuiſſe immanitatem, & cadavera laborantium variolis ſecta, viſcera omnia habuerint variolis maculata. Tale qvid in Septembri Anni 1673. Heidelbergæ obſervavit Magnificus DN. PRÆSES, Patronus & Promotor meus ſanctè ſemper colendus, in

Se-

Serenisſimo Principe, Comite Palatinô CAROLO CASIMIRO in Landsberg, qvi qvindecim annos circiter natus variolis peribat; Cujus viſcera exenterata, nempe inteſtina, hepar &c. variolis copiosè obſita cum immani fœtore, corpus verò ipſum deinceps ſecundum artem condiebatur. *Conf. qvoq; Joh. Schenck. l. IV. obss. med. f. 841.*

§. VII.

At *ſubjectum cauſæ* ſangvinis maſſam accuſamus, purpureum illum vitalem humorem, qvi, qvam diu benè temperatus eſt, & per arteriarum venarumqve canales rectè circulatur, omnes corporis partes blando calore perfundit, & motum iisdem ſenſumq; largitur, ac totum corpus ad ſubeundas actiones aptum vegetumqve reddit, & ſervat. At prout magis vel minus in temperie ſuâ ac mixtione læditur, ſic magis etiam vel minus in circulô ſuô vitali turbatur, & tum horrore, tum æſtu, caloreq; febrili, ac aliis gravisſimis ſymptomatibus corpus exagitat. Eundem igitur ſangvinem in mixtione ſuâ turbatum, ut *cauſam proximam* & immediatam meritò agnoſcimus. Turbari verò Maſſa ſangvinea videtur potisſimum ab acribus acidis & viſcidis particulis, qvæ propter figuram ſuam incongruam cum ſangvine colluctantes, commotionem ejus præter naturalem & orgaſmum excitant, eumqve graviorem vel leviorem, pro particularum peccantium copiâ & indole, donec ſecretæ à maſsâ humorali

per

per modum Criſeos ad habitum corporis amandetur, eamqve in exanthemata, puſtulasq; ac Tubercula elevent. Qvare, qvod eleganter annotavit Celeberrimus THOM. SYDENHAM. *opuſc. med. ſect. 3. Cap. 2. p. m. 118.* Duo illius morbi tempora obſervantur, qvorum primum ſeparationis eſt, ſecundum expulſionis. Atqve hinc primum qvidem illud tempus cum febrili ebullitione tranſigitur, qvod tribus, uti dictum, vel qvatuor primis diebus peragi ſolet, qvorum qvippe decurſu id natura ſatagit, ut particularum ejusmodi heterogenearum & vitalium humorum mixtionem turbantes, ſeligat, congregetqve, atqve etiam ut illas in carnoſas corporis partes per circulum ſangvinis relegatas ibidem deponat, qvô factô ad priſtinum motum naturalem ſenſim ſangvinis maſſa redit, ſedatô jam tumultu, qvi, dum hoc ageretur, ciebatur in ſangvine. Separatione autem ſic ope ebullitonis in ſangvine peractâ, expulſio locum obtinet, qvæ per reliqvum morbi tempus mediantibus illis parvis abſceſſibus in carne perficitur. Et qvidem poſtremum hoc negotium priori illo ſeparationis opere tanto plus ſibi temporis vindicat, qvod prius illud in focô; Poſterius autem densô ſpiſſoqve Theatro, atq; à vitæ fonte paulò remotiori, partes ſuas exſeqvi cogatur.

§. VIII.

Atqve ab illâ turbatâ ſangvinis miſtione & hinc excitatô orgasmô ac ſecretione materiæ acris acidæq; &

 viſci-

viſcidæ, omnia in Variolis occurrentia *phænomena* pendere videntur; A ſangvine enim acidis ejusmodi & viſcidis particulis inqvinatô minimorum disſidium & lucta, initiô qvidem minor naturali ſangvinis exagitatione, unde horror producitur, mox autem commotio impetuoſior inſeqventis æſtûs & caloris febrilis cauſa, exoritur. Et qvia iſtis peregrinis particulis exagitata ſangvinis maſſa totum corpus & omnes ejus partes permeat, atqve in iisdem præterea qvasdam earum deponit, hæq; vitioſæ moleculæ non ſolum oris, ventriculi, inteſtinorumq; glandulas obſtruunt, ſed & nerveas qvasvis atq; carneas partium fibras irritant, vellicantq;, hinc & appetitus dejectus, & ſitis, & ventriculi inverſiones, ac diarrhææ nonnunqvam excitantur. Sic porrò turbata ſangvinis miſtura totius corporis laſſitudinem infert, ſpiritus qvippe, & activas illius partes, à qvibus vires pendent, disſipans, vel præter modum irretiens, ac inviſcans. Et qvoniam dicta acris viſcidaqve materia toti nervoſo membranoſoqve generi maximè infenſa & exitioſa exiſtit, hinc pro diverſitate partium, qvas obſidet, varia ſymptomata emergunt, & ex irritatione fibrillarum cerebri, ſpirituumq; animalium vigiliæ nimiæ, deliria, motusq; Epileptici, ex vellicatione cordis variæ ejus palpitationes; Ex eodem ſtimulô oculorum rubor, eorundemqve dolor, & illachrymationes involuntariæ], qvem admodum ab ingratâ narium, pulmonum, faucium & laryngis affectio-

ne,

ne, ſternutationes & pruritus narium, raucedines, tuſſes & ardores faucium producuntur, ac eandem ob cauſam in totô corporis habitu pruritus & dolores ſentiuntur.

§. IX.

Qvod ad *cauſas* attinet *internas* antecedentes, multum ad affectûs noſtri productionem inter alia conferre poteſt Chylificatio læſa, muci qvippe & viscidioris acrisvê materiæ genetrix, qvi ad maſſam ſangvineam per vias lacteas delatus, ibidemqve majore copiâ collectus motum ejus & mixturam vitalem turbat, & tum morbos alios, tum imprimis variolas parere poteſt. Sangvis qvoq; ſcorbuticis imbutus particulis, & facili negotio turgeſcens ac ſeſe commovens minimè excluditur, inprimis, ſi mineræ acido acri & viſcidæ fiat acceſſus ad Maſſam ſangvineam. His itaqve præſuppoſitis nemo facilè ſic conſtitutus, opinor, erit, qvi triſtisſimi hujus affectûs atrocitatem effugere qveat. Hinc humidior plerumq; ætas experitur hoc malum ſæpius, facillima enim eſt ad ſubeundas ſangvinis turgeſcentias & commotiones, tardior etiam adhuc procedit ſangvinis circulatio, qvàm in pervectiori ætate, & propter abundantiam materiæ viſcidæ non levem diſpoſitionem ad parturiendum affectum noſtrum habet, ſi inprimis impuriore lacte in uterô, vel extra eundem nutriti infantes fuerint. Qvæ qvippe ratio, qvod hæc tenerrima adhuc ætas variolis præ aliis

 ob-

obnoxia ſit. Poſſunt autem collectæ ejusmodi cum ſuccô nutritiô vitioſæ particulæ, vel in ipsâ Maſsâ ſangvineâ, ſub lymphæ gelatinoſæ tegmine, vel in qvibusdam partium ſolidarum tubulis ſepultæ, diu ſatis latere, donec natâ qvâvis emergendi occaſione è latibulis ſuis expulſæ, & in apricum eductæ, ſangvineas particulas turbent, indeqve exanthemata illa ſaniosa in partibus ſolidis propullulent. Qvemadmodum experientiâ edocti videmus, non raro venena per multos annos poſſe ſuam in nobis mentiri præſentiam, anteqvam ullam activitatis ſuæ manifeſtent ſcenam; Sic Hiſtoriarum monumenta nos edocent, rabiem caninam per annos remanſiſſe plurimos abſconditam, donec tandem viroſi ſuroris ſui atrocitatem, periculi ſat plenam exercuerit, qvin imò Aſiaticæ gentes, ut & Galli ad certum temporis punctum præparandi venena artem callent, qvæ progreſſu temporis reſuſcitata homines atrocisſimè jugulant; Gallis vocatur hoc venenum la poudre de ſucceſſion. In partibus enim ſolidis, ſeu tubulis earundem latet, & ſe habet inſtar commiſſorum agris ſeminum, qvæ ſuo tandem tempore è latibulis progerminant.

§. X.

Ad propagationem hujus affectûs ſuum etiam conferunt ſymbolum *cauſæ remotæ*, ſive ſic dictæ *procatarticæ*, ad ſangvinis perverſam particularum commotionem haudqvaqvam ineptæ. Qvod enim ad

aeris

aeris intemperiem, noxiis particulis refertam attinet, illa plerumq; insensibilem transpirationem præpedit, poros partium constipat, & materiam in partibus solidis decumbentem evocat, qvæ evocata, mixtaq; cum sangvine, mixturam ejus motumq; pervertit, & turbat. Patet id clarius ex annuâ tempestatum anomaliâ, veris scil. & Autumni non unius generis exhalationibus: Extra omne enim est positum dubium, vicissitudinibus hisce temporum peculiare qvoddam miasma posse produci, qvod machinæ nostræ hydraulico-pnevmaticæ communicatum certas morborum species, qvid nî variolas? inducat, & commotione suâ sepultum variolarum seminium excitet. Sic magni talenti Medicus *WILLISIUS, libr. de Febr.* Per illas, inqvit, Cœli seu aeris constitutiones, sangvis alterationem magnam suscipit, & vere quidem calidam & biliosam temperiem nanciscitur, autumno verò diathesin modò acrem & biliosam, modò stypticam & austeram aqvirit. Sic *Divinus SENEX sectio 3. aph. 1.* Mutationes temporum potissimum pariunt morbos, & in ipsis temporibns magnæ mutationes, aut frigoris aut caloris. Hinc mirum non est amplius, quod Veris plerumq; & Autumni temporibus in tenerrima sæviant corpora variolæ, qvoniam tunc temporis aer variis inqvinatus est heterogeneis particulis, & insignem patitur alterationem, sangvinis Massam rarefacit calore suô, & commovet, humores qvoq; præcedente bru-

mali tempore qviescentes, qvasi fundit, magisq; exagitat, donec expedita circulatio eosdem ad exteriora protrudat; Ineunte enim veris tempore in totâ corporis nostri machinâ sangvis reliqviq; succi novum concipere motum dicuntur; Ad hanc aeris mutationem non parum certè conferunt exhalationes terreæ, sic suum recludens gremium terra varias exhalat particulas heterogeneas, qvas nemo effugere potis est; Aerem enim trahimus spiritumq; ducimus, aerq; nos ambit simili ferè modô, ut aqua pisciculos. Sangvis itaq; veris commotus tempore proprio qvasi nisu se defæcare nititur, hincqve ad ipsam cutim pravos protrudit humores, & qvasi præcipitat, ibiq; se manifestant variæ efflorescentiæ teste *CELSO*, judiciô verè Celsô: Pustulas & efflorescentias vernis maximè temporibus oriri. Non paucos etiam morbos *HIPPOCRATES*, qvi Vere utplurimum grassentur, *Aphor. 20. sect. 3.* enumerat: Vere enim furores, Melancholiæ, Epilepsiæ, fluxiones sangvinis, anginæ, gravedines, raucedines; tusses, Lepræ, impetigines, vitiligines, & *pustulæ ulcerosæ plurimæ*, tubercula, articulorũ dolores. Hinc, qvi qvâdam gaudent dispositione, ad efflorescentias tales cutaneas, malisq; humoribus pleni sunt, vernô tempore, tum in morbos alios, tum in variolas solent incidere. Sic multum etiam conferunt ad producendas eas cibus, potusq; qvi Cacochyliam, hincq; Cacochymiam viscidam & acidam acrem producere apti

nati

nati ſunt. Tales ſunt cibi frigidi, humidi nimis, viſcidi, duri, fumo indurati, fructuumq; horariorum nimius uſus. Turbant enim hæc omnia Chylificationis negotium, cruditatum excitant colluviem in canali alimentorum, obſtructiones pariunt, & ſic particularum heterogenearum commiſtio cum Maſsâ ſangvineâ inteſtinam facilè pugnam aggreditur, & ideò pravum fomitem reſuſcitare facilè poteſt. Huc referendus etiam nimius motus, qvatenus nimirum ſangvinem, ſpiritusq; & omnes cæteros humores nimium commovet, ex qvô fonte ſtagnationes, Inflammationes, febresque promanant. Qvies tandem nimia ſua etiam incommoda oſtendit; humorum enim motum retardat, ac excrementa accumulat in Corpore, unde cachecticus procreari habitus ſolet; Cum eâ verò ſomnus immoderatus pari ferè paſſu ambulat. E contrariò, qvoniam vigiliæ nimiæ ſpiritus animales, humidumq; vitale diſſipant, & collectioni viſcoſorum humorum velificantur, non parum etiam ad variolarum generationem tribuere poſſunt. Tacemus Pathemata animi, & excernendorum retentiones, qvibus qvippe cauſis occaſionem præberi non minimam ad producendum eundem affectum, in proclivi cuivis eſt judicare.

§. XI.

Circa Prognoſin cautum & prudentem ſe gerere debet Medicus, cum enim *HIPPOCRATES* Pa-

rens

rens Medicinæ judicium ſuum ipſe ſuſpenderit, nihilque certi de acutis prænunciare auſus fuerit; Morborum, inqviens, acutorum, non omninò certæ ſunt prædictiones neq; ſalutis, neq; mortis, *2. aphor. 19.* Qvid qvæſo moderno Medico in re tam arduâ judicandum incumbet? Sagaci itaq; ratione, aureâq; confiſus experientiâ, quam incanus hactenus rerum uſus infallibiliter approbavit, animi ſui ſententiam, ut honos conſtet arti ſuæ, de benignis aliter, aliter de malignis exponere debet. Optimi ſcil. moris ſunt Variolæ, ſi cum ſymptomatum facilitate alterô ſtatim vel tertiô die citò prodeant, & ad maturitatem brevi perducantur, cum febri miti, non malignâ, ſi albicantes, & purulentiæ copiam contineant; Si rotundæ & eminentiores, ſangvinis enim maſſam obtinuiſſe, & heterogeneorum fregiſſe furorem, ex mitiori earum expulſione, ſymptomatumq; benignitate judicare haut eſt difficile. Bonæ etiam notæ ſignum habetur, ſi adhuc ante Eruptionem copioſum ſangvinis per nares ſtillicidium contingat, Vide *FOREST. l. VI. obss. 48. f. m. 199.* id qvod tamen *RIVERIUS* inter lethalia phœnomena, ſed malè, vult referre. Evacuatâ enim ſangvinis per nares copia, acris acidæ materiæ qvædam portio extra dubium etiam imminuitur, & turgeſcenti adhuc ſangvini majus conceditur ſpatium, ne adeò fortiter commoveri, nec diſtendere amplius poſſit vaſa. Ejusmodi hæmorrhagias narium ſpontaneas in multis pue-

ris & adolescentulis Argentorati, ac in Palatinatu aliisq; locis observavit Magnificus DN. PRÆSES, ubi vinum ordinariè bibitur, qvæ cum ægrorum *εὐφορίᾳ* præcesserunt. Qvin imò in robustis, in succi plenis, ac plethoricis in principiô statim administrata Venæ sectio vices illas egregiè præbet, ceu exempla multa idem Magnificus DN. PRÆSES adnotavit; & ante annum Serenissimus qvidam Princeps feliciter eandem sustinuit, ceu Ejusdem Dn. Parens Serenissimus *νῦν ἐν ἁγίοις* itidem jam adultus alterâ vice in Variolas incidens. Ita ante triennium Francofurti ad Mœnum in filiolâ trium annorum Oeconomi domus Teutonici Eqvest: ord. statim celebrata in principiô Venæ sectio eandem salvavit, qvæ necessariò periisset, uti alii infantes eò tempore, sicut animadvertit Magnificus DN. PRÆSES. Imo venæ sectio omissa causa mortis fuit in adultâ Variolis laborante. *Vid. Grembs. Arb. ruinos. p. m. 429.* Sic alvi etiam adstrictio bonum annunciat præsagium: Variolarum namq; eruptionem sufficientem, & spirituum adhuc vigorem indicat, siqvidem Variolarum expulsio per sangvinis fortiorem absolvitur commotionem ad peripheriam nostri Corporis; Massa itaqve sangvinea cum particulis excernendis magnum aggreditur certamen, qvæ, si reportet victoriam, hostilem illam materiam ad externas corporis par-

tes eliminat, clausis qvandoq; ceteris Corporis emunctoriis. Hinc non solum in his, sed & in aliis morbis malignis ab omnibus purgantibus sibi cavendum jubet Magnif. DN. PRÆSES, adeô, ut etiam Enemata, & subpositoria habeat suspecta ne mali materiam ac fomitem à peripheriâ cum periculô iterum retrahamus ad Centrum aut interiora, cum ægri internecione; Imò interdum post variolas reliqviæ qvædam impuræ per dictam metastasin ad aliquam deponuntur partem, ibiq; Apostema excitant, ceu Domesticum novit exemplum Magnificus DN. PRÆSES. Confer. *Salmuth. Cent. I. obs. 25.*

§. XII.

Sed longè aliter sese res habet, dum *mortis* imago, & fatalis periodi terminus apparet, gravioraq; Variolas comitantur Symptomata. Variolæ ergò tardè erumpentes, lenteq; maturantes, lividæ violaceæ, nigricantes & parvæ, vel post Eruptionem rursus delitescentes & evanescentes, vix Medici, sed pollinctoris sæpius operam reqvirunt; Virium enim robur fractum, & materiæ contumaciam, ut & peccantium retrocessum humorum ad massam sangvineam non immeritò accusant. Vox rauca, respiratio difficilis, anxietas præcordiorum non omninò vacat periculo; docente Divino

HIP-

HIPPOCRATE 4. Aphor. 50. Ubi in febre non intermittente difficultas respirandi, & delirium acciderit, lethale. Et porrò, qvi variolis aut morbillis pereunt, illi aut Anginâ, qvod raucedo (videatur puella loqvelam amittens ap. *GVIL. FABRIC. Cent. VI. obs. 14.* & *GOTOFR. SCHUBERT. Ephem. Germ. Cur. Dec. I. Ann. 2. obs. 201.*) & dolores faucium manifestant, aut peripnevmoniâ, ex anxietate, & difficultate respirandi, suffocantur, aut Syncope, ob defectionem spirituum notabilem, aut Convulsionibus, ob acrimoniam & obstructionem nervosi generis, (quamvis Magnificus DN. PRÆSES in virgine qvatuordecim annorum ante hos septendecim annos instantibus primis mensibus & variolis observaverit, Convulsiones atroces, qvibus cessantibus promanârunt menses, & prorupêre variolæ; Illa verò adhuc vivit, & valet, hactenus maritata, & aliqvot liberorum mater non infelix, aut alvi tandem profluviô cruentô moriuntur. Sic Ferdinandus IV. Rex Romanor. gloriosissimæ memoriæ, obiit die XXIX. Junii 1654. magnô cum Cæsaris patris ac Imperii dolore. Imò interdum etiam in mali declinatione ceu tragicum Exemplum habuimus ante annum in Serenissimo Principe Juventutis, Duce Saxon. JOH. VVILHELM Jenæ;

Et apud *Zacut. Lusitan. l. 4. Med. Principp. Hist. 53. Conf.* omninò de retrocessione humorum in Variolis *Marcell. Donat. de Variolis & morbill. c. 22. p. m. 143. seq. Angel. Victor. Consult. XLVII.*

§. XIII.

Ex signorum itaq; revelatione facilè est videre, non unô variolas eôdemq; modô agere ; alium enim plus afficere qvàm alium. Hoc qvoq; notabile est, ex millibus vix unum dari, qvi ab hôc malô vitam degat & absolvat immunem. Dari tamen Exempla rarissima observavit Magnificus DN. PRÆSES. E contrariò non semel solum, sed bis, *Conf.* FOREST. *l. VI. obs. 43.* ter, ceu in magnô Principe vidit Magnif. DN. PRÆSES aliisq;, imò qvater, qvod rarum, ita, ut subputentur qvoqve variolæ vulgò dictæ albæ pallentes, & aqvaticæ, Wasser-Blattern oder Bocken. Hoc notatu dignum est, novit Idem honestam Matronam, nunc annorum 44. qvæ à teneris qvinqvies hôc malô laboravit, sine ullô formæ facieivê tetrimento. Hinc Medicinam faciens curationis innititur fundamentô, distingvitq; meritò accuratum temporum intervallum, qvorum *Ebullitionis* sive secretionis primum est, *Excretionis alterum, seu expulsionis ; Curationis* autem cardo qva-

tuor absolvitur indicationibus: ut (1) acris acida & viscida materia corrigatur, & blandâ diaphoresi expellatur. (2) Symptomatum furor mitigetur, & (3) Variolarum expulsio facilitetur, & adjuvetur. Tandem (4) partium tam in-qvam externarum contra exulcerationem defensio observetur. Tempore igitur secretionis seu ebullitonis, dum præcursores imminentes variolas & febris præsentiam edicunt, & graviora præcipuè urgent symptomata, Medicamenta blandiora suum peragunt officium, inter qvæ potissimum sunt diaphoretica fixa, & acidum acre absorbentia; respectus enim jam habendus ad Febrim, hinc sedulò removenda volatilia, sangvinem jam tum turbatum magis magisq; turbantia & exagitantia ideò nil nisi diræ mortis esset expectanda imago. Sic anicularum qvoqve more qvidam ab initiô statim, ægros intempestivô detinent calore, in lectô, vel calefactô satis hypocaustô; Verum, ut verum fateamur, sangvinis maximè fervorem adaugent, versantur, omninò multi hujus mali effectus ab oculos, deplorandi merito in miseris puerulis, mortis non rarò faucibus traditis. Pari etiam ratione rigorosè adeò procedunt qvidam, ut omne potûs desiderium ægris ferè interdicant, deq; lymphæ restauratione sint minimè solliciti, cum tamen

 ex-

experientiæ fide ſit exploratum, nullam hic potum afferre noxam, moderatum puto, modò inſatiabilis ſitis appetitus ventriculum non inundet, aut unâ vice ingurgitetur multum: modernorum enim viget ſententia, ſæpius bibere in morbis acutis, & parum bibere vix nocebit. Nulla itaqve hic Venæ ſectio præſtat, niſi plethoræ vel inflammationis internæ indicia exigant, nulla hîc etiam locum obtinet evacuatio, nedum Enematum applicatio, niſi in perfectâ morbi declinatione. Periculi aliàs ſeqveretur res plena & facilis vitæ cum morte permutatio: Ut autem primæ noſtræ indicationi faciamus ſatis, commendamus ſecretionis tempore blanda & temperatiora diaphoretica, acidum acre ſimul infringentia, eaque utplurimum fixa; Cum itaque morbi adhuc dubia audiat diagnoſis, confugiendum ad generaliora, quæ, cum temperata ſint, niſi proſint, ſuſpicionem etiam ullius noxæ nullô præ ſe ferunt modô: Hæc verò ſunt Tinctur. Bez. Mich. ſpirit. Bezoard. Buſſii, & Miſtura ſimplex non camphorata, moderata doſi obſervata, ut vero acidũ acre modo deſtruamus legitimô, & turbatam ſangvinis Maſſam in priſtinum componamus ſtatum; Ex Bezoardicorum fixorum numero eligimus Lap. 69. ▽ ſigill. Ebor. & C.C.ſ. △e, ut & gelatinam. Unicorn. ver & foſſil. Lap. Bezoar. orient. & occident. pulv. Bez. Sennert.

nert. Pulv. Bezoard. Magnif. Dni. Præsidis, cujus magnus Usus non solum Heidelbergæ, & in viciniâ, sed & locis remotioribus hodienum. Pulv. Pannonic. rubeus, Marchion. Cephalic. Michael. Spec. de gemm. frigid. Conf. Hiacynth. Bez. mineral. quæ utramq; absolvunt paginam, secretionem non minus, qvàm excretionem promovendo. Possunt autem in formâ pulverum dari, vel mista cum ▽is simplic. appropriat. flor. Sambuc. Galeg. Scorzoner Cichor. Card. Bened. Cent. min. flor. Tiliæ, Meliss. Cord. Herc. Saxon. frigid. &c. &c. in formâ potionum & mixturarum. His itaque blandis continuandum per tres vel qvatuor dies; nisi symptomatum fortassis furor alia nos edoceat.

§. XV.

Symptomata itaqve ferè omnia acidum acre viscosum præsupponere, conjectu est facile, ut verò mitigentur, opus est Consiliô; Nimius æstus, sitisqve appetentia si urgeant; fallenda sunt illa blandioribus acidis, Decoctis, gelatinosis, vel alius generis Medicamentis, e. g. spir. ⊖is dulc. ⦶ dulc. Tinctura flor. Bellid. Rosar. Clyssus *ii ♀ratus in minimâ qvantitate, cerevisiæ indita. Sitim etiam & caloris extingvit æstũ gelatina C. C. recens C. C. ustum, & præparatum, potui immixta. Deco-

coctum item Hordei, cum radic. ſcorzoner. & liqvirit: ▽cinam: Borriginat: ſirup. Violar: &c. & ⦶ tabulat: ſitim mirè compeſcit. Non rarò ingens capitis dolor cum vigiliis nimiis vexat, pavores etiam in ſomnô, inſomnia, deliria, ut & convulſiones & inſultus Epileptici eruptionem variolarum antecedere ſolent. Hæc, cùm in curatione omninò conveniant, conjungemus, & ex antiſpasmodicorum & antepilepticorum fonte hauriemus remedia; In his autem, cum propter febris præſentiam cautè & blandè procedendum ſit, blanda diaphoretica & reſolventia, imprimis vero omnia Cinnabarina magnifacimus; Zinnab. ♁ii & nativ. ♁ diaphoret. Bezoar. mineral. Pulv. Pannon. rub. Bez. Senn. Marchion. & Cephal. Michaelis, adjectis qvandoqve opiatis, e. g. Laudan. opiat. pulveribꝰ anodynis, Theriacâ Cœleſti, qvæ omne ferè abſolvunt punctum in ſymptomatibus mitigandis, in vigiliis & deliriis præcavendis, in doloribus Capitis, ubi nervoſum genus iterum tranqvillant; & impetuoſum ſpirituum & humorum motum ſiſtunt; Ad deliria magni usûs eſt Camphora moderatâ doſi exhibita, ſi cum ⦶ vel lapid. prunellæ præſertim maritetur. Sic Emulſiones in vigiliis nimiis ut & doloribus capitis qvam maximè conducunt, e. g. ex ſem. Aqvileg. Pœon:

Napi

Napi Card. Benedict. Papav. alb. &c. cum aqvis appropriatis: Aqvileg. Scorzoner. Meliſſ. Sambuc. Cord. Herc. Saxon. frigid. qvibus addi poſſent adhuc Bezoard. mineral. ♁ium diaphoret. mandibul. Luc. piſc. & ſacch. perlat. q. ſ. Ex qvibus componi facilè poteſt Emulſio, qvæ in nimiis vigiliis certum ſomni auxilium promittit.

§. XVI.

Reſpirationis etiam negotium intercipitur, præcordiorum anxietas, & palpitationes cordis multum faceſſunt negotii Medico, qvoniam non immeritò membranacea pulmonum expanſio & veſicularum congeries læditur, ac diſcinditur. Hæc æq; ac alia ſymptomata, blanda deſiderant diaphoretica, & reſolventia cum bechicis ſociata, ſic ♁ diaph. Bezoart. mineral. Antihectic. Poterii, Cinnab. nat. & ♁ii, inprimis autem ſperma Ceti ſuum præſtat; Sirupi etiam bechici, e. g. de Eryſim. Lobelii, Diacod. mont. ſirup. jujub. Violac. Looch ſanum &c. qvæ potionibus immiſceri poſſunt, ▽æ Tuſſilag. Hyſſop. Scabioſ. Meliſſ. &c. Totum interdum corpus convellitur Vomitionibus, qvi, ſi benignè ſatis ſeſe habeant, illico non ſunt ſiſtendi, ut potius materia ventriculo inimica per ſuperiora eliminetur; Qvodſi verò furiosè nimis urgeant, compeſcendi Theriacalibus & ano-

dynis, & terreis diaphoreticis, ſic 🜃a ſigillata, Corall. rubr. præpar. C· C· uſtum. Theriaca Cœleſtis hoc in caſu præfertur, nec contemnenda eſt Miſtura ex Eſſ. Theriacal. Caſtor. & anodynæ momentô. Nec alvifluxus, qvi nonnunqvam ſupervenit, periculo caret; tollendus itaq; non ſine vitæ diſcrimine, & remediis ▽eis potui largiter immiſſis ſiſtendus. Vocis etiam tenor inſvetâ qvâdam raucitate corripitur, tuſſis inclementia fatigat, & concutit corpus, anginæ qvoq; præſentia ſuffocationis præſupponit metum, niſi præcaveatur in principiô, hinc Reſolventia in uſum trahenda, ut & diaphoretica. Raucitas temperantibus obtemperat; Syrup Violar. de Eryſm. Lobel. &c. Fauces poſſunt præſervari gargariſmatibus, quæ parantur ex fol. ſalv. plantagin. ſcabioſ. Sambuc. Prunell. Verben. flor. Balauſtior. Bugloſſ. &c. Ex his itaq; proſtant aqvæ deſtillatæ, quæ additione Sirup. de jujub. Liqvirit. Pap. alb. vel violar: & lap. prunell. portione gargariſma huic affectui accommodatum producere poſſunt. Angina & Tuſſis blandis diaphoreticis, & expectorantibus; ſirup. Heder. terreſtr. ſcabioſ. Looch. ſan. & Spir: ſal: armon. aniſatô, præſertim, qvando Variolæ Eruptionem moliuntur.

§. XVII.

Tempore itaq; Excretionis, ſi ullum erumpen-

tium

tium variolarum ſignum, quod in dorsô & ventre plerumqve conſpicitur, appareat, fortiora, hoc eſt, temperata volatilia adminiſtranda, inter qvæ eminet Spirit. Bezoard. Busſii, bis vel ter de die propinatus, ⊖ volat. C· C· ⊖ volat. ſuccin. Spirit. Salis ammoniaci aniſat, Spirit: theriacal. Camphor, Elix. Proprietat. cum Eſſent. Fumar: & Spiritu Cochlear: Eſſent. Caſtor. cum Eſſent. Myrrh. vel Croc. &c. Eſſent. Enul. ejusdemqve decoctum multum præſtat. Sic Diaſcord. Fracaſtorii cum acetô Theriacali optimè ſe gerit. Camphora etiam cum Bez. miner: vel ♁iô diaph. & Cinnabari nativâ ſociata egregiè expellit. Aſa fœtida ſuum etiam hic habet uſum, hinc inſigniter laudatur ab *ETTMULLERO*, tria, inqvit, egregiè conducunt in Variolis, Myrrha, Caſtoreum, & Aſa fœtida; Idem commendat Decoctum Ficuum cum miliô, vel fœniculô, ut inſigne expulſivum in erumpentibus jam variolis; de qvô *FORESTUS* verba facit, ſe ſcil. nullum perdidiſſe ægrum, qvi tantum Decoctum ficuum adhibuiſſet in potu ordinariô. Lætâ itaq; Variolarum Eruptione factâ cavendum ſedulò, ne evaneſcant iterum, aut retrocedant inordinariô fortasſis victûs genere, vel corporis frigido aeri expoſitione; In hôc verò Caſu ad Cardiaca ſic dicta confu-

 gier-

giendum ; qvæ legitimam ſangvinis circulationem reſtituunt, & ſunt omnia Reſolventia & expellentia, inter qvæ eminet Elixir. Proprietat. ſine acidô cum eſſent: Myrrh. cum Spir. ſalis ammoniaci vinosô paratâ, maritatum, Spir. ſalis ammoniaci ſuccinat. Spiritus Bezoart. Buſſ. Tinctura ſalutis Langii, Spir. theriacal. Camphorat: Potiones Cardiacæ ex ♁libus pulveribus, & alexipharmacis, Diaſcord. Fracaſtor. & ſimilibus. Sin verò minus his Medicamentis obſeqvium præſtare velit variolarum retroceſſus, Veſicatoriorum ex Cantharidibus in dorsô, auxilium eſt implorandum, qvæ nunqvam non præſentaneam ferunt opem. Ad faciei verò præſervationem, ut à variolarum copia immunis remaneat, applicandi locum plerumqve in dorsô & ſcapulis eligere ſibi qvidam, nec ſine ratione, ſtatuunt. Procedit etiam interdum non adeò felici ſucceſſu ſuppuratio tardioris, qvàm decet, eventûs; Reſpiciendum itaqve ad internas æqve ac externas corporis partes, ne ſubitò periculum incurrant, & corroſionem patiantur. Huic ſcopo conducunt acidum acre imbibentia & temperantia, ut Lap. 69. Corall. præpar. C· C· ſ. △e, Myrrha cum ♁iô diaphoret. & ſale abſinth. vel Card. Bened. intermixta. Nulli itaqve Corporis parti, tenerrimæ qvantumvis & nobilisſimæ, parcunt Variolæ, ſed omnes obſident, ut oculorum

etiam

etiam lumina ab his non versentur libera, eorundem aciem hebetent, qvin imò amavrosin nonnunqvam inducere facilè soleant; In hôc verò discrimine res est omni studio eo dirigenda, ut oculorum vicinia præservetur, & muniatur, ne influere ad eos materia vitiosa qveat. Regio itaqve eorum Croco cum lacte muliebri illinitur, vel Crocus infunditur Aqvæ Rosar. plantagin. Fœnic. vel ▽ ophalm. D. Sennert. cum mucilag. sem. cydon. vel sem. sumach. Mulierculis etiam est familiaris halitus à baccis lauri dentibus contritis, & oculis sæpius inspiratus, id etiam de Alliô dicitur. In inflammatione autem addi potest Camphoræ vel sacch. ♄ni momentum. Et si fortè contingat, ut de nocte claudantur oculorum palpebræ ab ichore, reserandæ convenientibus, ne inferat sanies noxam; lacte scil. tepidô, vel decoctô Malvæ cum fœnicul. emolliendæ; Narium pruritus tollitur ol. amygd. dulc. Lil. alb. oleo Jasmini cum pauxillô Camphoræ.

§. XVIII.

Præterea faciei nitor, qvoad fieri poterit, defendendus; Præcavendum enim, ne longè lateq; serpat hostilis ille humor, & dein inter se coëant variolæ, & acrimoniâ suâ corrodant profundius, effectusqve, deformes scil. post se foveas relinqvant.

Præter verò ſuſpecta pingvia, acidum infringentia, exſiccantia, & mitigantia primas hic tenent. Huic ſatis facit ſcopo ol: amygdal. dulc. cum Ol. Jaſmin. & ♀ri per del. qvô oleo illinantur flaveſcentes variolæ. Sic ſacch. ♄ni cum ▽â Roſar. miſtum calidè faciei applicare jubet *ETTMULLERUS.* Cereviſiâ recente ſecundariâ, & lupulatâ cum ⊖e ♀ri nonnihil imprægnatâ variolas ablui alii volunt. Rubra etiam nævorum veſtigia Coſmeticis propelluntur, ſic ▽ ſperm. Ranar. & Sigill. Salomon. cum Ol. ♀ri per del. vel ⊖e tàm ♀ri, vel ſacch. ♄ni, & paucâ Camphorâ easdem maculas brevi tollit; *ETTMULLERUS* commendat ▽am florum omnium cum Coſmetico Clavii & pauca Tutiâ; De cæterô pergendum cum Medicamentis ſangvinis Maſſam purificantibꝰ, Eſſ. Myrrh. Succin. Elix. Propr. ſ. acidô Tinct. Bez. Spir. Bez. Buff. & canalis inprimis alimentorum poſt morbi declinationem eſt expurgandus, ut, ſi qvædam adhuc ſint ſuperſtites particulæ noxiæ, eliminentur. Qvodſi verò lactentes adhuc pueri omnem horum remediorum adhibitionem reſpuant, ea nutrici largius danda, ut alteratô ipſius lacte ſangvinea ſimul hujus ætatulæ maſſa corrigatur.

§. XIX.

§. XIX.

Qvod reliqvum, diætæ regulæ ſuum maximè pondus in Variolarum Curatione addunt; Hâc enim neglectâ deploranda inſeqvi ſolet calamitas; Sic frigidum aerem qvôvis modô effugiat æger; & moderatum vel tepidum, non nimium, præſertim in principio, & ante Eruptionem, ſibi potius eligat. Induſiorum etiam frigidorum mutatio haut qvaqvam proficua. E ciborum genere commendamus juſcula avenacea, Decoct. Lentium, de qvô pro & contra apud Auctores diſputatur; Arabes enim commendârunt, teſte *Mœbio Inſtit. Med. l.4. p. 2. c. 2. p.m. 456. & Gregor. Horſt. de ſanit. ſtudioſor. tuend. l. 1. p. m. 33. ſeq. Joann. Coſtæus in Miſcell. Diſſert. Dec. 1. p. m. 33.* juſculum ex Carne pulli, reliqvosqve boni ſucci faciliſq; ſolutionis, & temperatos maxime, non calidiores, vel aromatibus nimis conditos, nec acres & acidos. Potus ſit tenuis, cui Gelatina C·C· C·C· uſtum C·C· philoſ. præpar. vel Tinctura flor. aqvilegiæ, Bellid. Roſar. immittenda. Sit qvies animi & corporis maximè commendata.

S. D. G.

AD

AD NOBILISS.

DN. NICOLAI,

Med. Candidat. vel maximè condignum!



QVi Nato fueras caro per carus Achates,
Ac studio simili perbene junctus eras;
Qvo cum per Belgas ibas, ibasq; per Anglos,
Angelico ductus numine, luce, manu:
Nunc divisi ambo metam properatis ad unam;
Eminus est ea mens, cominus ante fuit.
Laudo Tuum studium, Tibi noster Apollo brabeis
Annuit, & doctum rite coronat opus.
Qvi Nato fueras, mihi eris qvoqve Carus Amicus;
Atq; Tuam laudet plurimus æger opem.

εὐνοίας ἕνεκα f.

D. GEORGIUS FRANCUS,
h. t. RECTOR Universitatis.

(o)